



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 746. An & qualiter valeat renunciatio hæreditatis futuræ alicujus adhuc viventis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

dum delata; seu potius spei de ea deferenda; vel jam delata. quæ posterior coincidit cum repudiatione, de qua actum *proced. 99.* Item prout fit in favorem tertii, vel simpliciter in favorem nullius. Item prout fit simplice voluntate solius renunciantis, & sine consensu alterius, vel cum consensu alterius per modum pacti vel conventionis. ita ferè Reiffenst. *h. t. n. 533.* cum Galerat. *de renunc. l. 1. c. 8. n. 6. & seq.*

Quest. 746. An & qualiter valeat renunciatio hereditatis future alicujus adhuc viventis.

1. **R** Esp. Primò : valet & licita est, etiam jurata, renunciatio & conventio circa hereditatem alicujus incerti viventis adhuc, seu in genere, etiam facta in favorem tertii. v. g. his verbis : Renuncio & cedo tibi hereditatem omnem, quæ mihi aliquando à quocunque obventura est. *Molin. de 7. & 7. Tom. 2. d. 412. & 579.* Sanch. *L. 7. moral. c. 2. n. 31.* Laym. *L. 3. tr. 5. c. 7. num. 3.* cum communi. Arg. *L. ff. pro socio.* ex ea ratione; quia istiusmodi renunciatio; cum nullius certi hereditas specificetur, non continet periculum voti captandæ mortis, ob quod aliàs jura prohibent renunciations & conventiones in favorem tertii super hereditate futura viventis. Quin etiam valet & licet talis renunciatio & conventio super hereditate certi alicujus adhuc viventis, ubi is in eam conventionem consenserit, & hunc consensum suum ad mortem usque non retractavit. quia, cum prohibitio talis renunciationis sit inducta in favorem viventis illius, potestis consentiendo renunciare huic favori suo. *Menoch. conf. 1. n. 166.* Laym. *l. c.* Torre. *de pact. futur. succes. l. 1. 29. n. 1.* cum communi juxta expressum textum. *L. fin. c. de pact.* Atque ita valet conventio, quæ liberi de futura patris viventis hereditate, eo sciente & consentiente ita disponunt seu paciscuntur : si dederis mihi mille florenos, cedo tibi & renuncio omnem hereditatem paternam mihi aliquando obventuram; vel si quis gratis sic renunciet : cedo in favorem hujus vel illius hereditatem paternam aliquando obventuram. *Reiffenst. h. t. num. 536.* modò tamen dictus consensus illius, de cujus hereditate agitur, adsit, dum sit renunciatio, ita ut non sufficiat, illum subsecutum rati haberi. *Torre. l. c. num. 39.* Bolognet. *ad L. fin. c. de pactis. num. 46.* Merend. *controv. l. 1. c. 18. num. 17.* & alii quos citat & sequitur *Reiffenst. h. t. num. 538.* tamen enim rati habitio retrotrahatur & mandato comparetur juxta *c. rati habitioem. de R. 7. in sexto.* Adeoque efficiat, ut actus præteritus habeatur pro valido, hoc tamen solum locum habet ubi actus cedit in solum præjudicium consentientis; non verò, ubi cedit in præjudicium tertii, vel est contra bonos mores, uti contingit in præsentem. Unde etiam licet is, de cujus hereditate agitur, ab initio facere possit, ut fiat sine delicto vel injuria, non tamen per consensum ex post secutum facere possit, ut actus talis non fuerit factus sine delicto, vel desinat esse delictum. Sufficere nihilominus consensum subsecutum, si renunciatio à principio facta expressè sub rati habitioem illius, de cujus hereditate agitur, bene dicit *Reiffenst. num. 539.* Necesse quoque est, ut dictum in *resp.* talem consensum perseverare ad mortem consentientis. dubium enim non est, quin talis consensus etiam jurato de non revocando illum præstitus, revocari valide, licet non sine perjurio, possit cum effectu, nimirum, ut tali revocatione facta, renunciatio omnino infirmetur. *Sanch. l. c. n. 18.* Alciat.

ad L. fin. de pactis. An verò hic consensus necessariò debeat esse expressus, an sufficiat tacitus, in eo non conveniunt AA. posterius cum aliis tenet *Sanch. l. c. n. 11.* Prius *Merlin. de pignor. l. 1. q. 40. num. 1.* Bolognet. *l. c. num. 46.* Flam. *Parif. & alii,* quos citat & sequitur *Reiffenst. num. 540.* eò quòd velint tacentem non haberi pro consentiente, dum agitur de præjudicio tacentis, quòd tamen ad summum videtur verum, dum interior voluntas seu consensus nullo facto extero proditur.

2. *Resp.* Secundo : renunciatio vel conventio circa hereditatem unius vel plurium viventium in specie sine hujus vel illorum consensu in favorem alterius est nulla & invalida. ira communis juxta clarum textum. *L. fin. c. de pact.* ubi & ratio additur : nimirum quia istiusmodi pactiones odiosæ videntur, & plenè tristissimi exitus, & contra bonos mores. & hæc, etiam si talis renunciatio juramento confirmata, ut habet communissima, quam tenent *Bolognet. l. c. num. 59.* Bald. *in c. ad nostram de jurejur.* Fachin. *L. 8. c. 72.* Tholof. *syntag. jur. univ. l. 41. num. 13.* Sanch. *l. c. n. 33.* Laym. *L. 3. tr. 5. c. 7. n. 3.* Galerat. *de renunc. l. 3. c. 2. num. 60.* & c. quia juramentum præstitum contra bonos mores non est obligatorium. *Reg. 58. de Reg. 7. in 6.* adeoque actum ideo nullum, quia est contra bonos mores vel jus naturale. §. *sed naturalia. Inst. de jure nat. gent. & civil.* vel quia est in præjudicium tertii. *c. 28. de jurejur.* non reddit validum. multòque minus id faceret consuetudo, si alicubi vigeret, utpote contra jus naturale & foveus peccatum. *c. fin. de consuetud.* unde dum *c. 2. de pact. in 6.* universaliter dicitur, per juramentum convalidari actus aliàs de jure nullos, id intelligendum de actibus jure nullos aliunde, quàm quia sunt contra bonos mores, vel quia foveant peccatum. Dum tamen aliqui in hoc casu præbent consensum, alii non, quia absentes sunt, renunciatio valida est respectu consentientium, invalida quò ad alios; quia est in materia separabili, & utile per inutile non vitiatur. *Reiffenst. num. 545.* cum *Torre. l. c. L. 2. c. 5. n. 67.*

Quest. 747. An & qualiter talis renunciatio heredis noceat ejus heredibus, quibus aliàs hereditas obventura. & qualiter interpretanda, ad quæ & quousque se extendat, & quando expiret renunciatio.

1. **R** Esp. Ad primùm talis renunciatio, quæ v. g. filia accepta dote (quæ aliàs non impedit, quò minus dotata adhuc succedat, cum pater teneatur dotare filiam juxta *L. fin. de dotis promiss.*) valide resignat seu renunciat expressè hereditati pro se & heredibus, juxta valdè probabilem, quam tenent *Surd. l. 1. conf. 133. num. 11. & 12.* Decius. *conf. 118. & in L. pactum. dotal. de collat.* alique citati à Fachin. *L. 3. c. 23.* ex ea ratione, quòd quis quò ad bona & jura sua possit obligare hæredes, & consequenter si ita expressè paciscitur mater, nocet liberis & hi acquiescere debent. Non tamen nocet liberis, si in renunciatione nulla sit factio mentio eorum, matre ante avum & aviam eorum mortua. *Bart. in L. qui superstit. ff. de acquir.* Covar. *in c. quamvis. de pactis. in 6. p. 3. §. 2. num. 4.* Fachin. *l. c.* Azor. *Tom. 2. c. 28. num. 13.* Carpz. *p. 3. c. 35. d. 11. & alii,* quos citat & sequitur. *Reiffenst. num. 547.* contra *Surd. l. c. & Molin. d. 579. num. 4.* hoc nixos fundamento, quòd per hoc, quòd filia ante patrem & matrem suam mortua, adeoque exclusa ab omni